Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 1793
Quelle:
Copyright:

futatio *Scripti a IV. Civitatibus, Argentina, Constantia, Memminga et Lindavia* ad Sacramentarios deflectentibus *Imperatori oblati*, quod supra *Parti* II. horum *Adversariorum fol.* XI. et XXVII. insertum legitur, cujusque meminit *Coelestinus* T. IV. p. 93. Meminit et Confutationis praesentis a *Fabro* et *Eccio*, ut ait, elaboratae p. 95. Incipit vero ista: *Sacra Cæsarea et Catholica Maiestas uisis diligenter et accurate articulis quatuor ciuitatum* &c.

Fol. XXXI. *Responsum* Germanicum *Civitatum*, cur *Decreto Spirensi* an. 1529. dato audientes esse non possint. Insertum etiam *Parti* II. horum *Adversariorum fol.* VI.

Fol. XXXVI. *Von Haimlichen vnnd vffrierigen Briefen sammt ainen psalmen vsgelegt wider den vffrierigen abtrinnigen Münch Martin Luther.* Noti sunt vani illi metus ab *Ottone Packio* incussi *Hassiae Landgravio* an. 1528. de foedere inter Principes Catholicos clam *Wratislaviae* concluso, de quo videri possunt *Hortlederus* T. I. L. 2. p. 577. *Sleidanus* L. VI. ad *h. a. Struvius Corp. Hist. Germ.* T. II. p. 1011. Scripserat hac de re *Lutherus* ad *Wenc. Lincum* epistolam sat acerbam, quam exhibet *Cochlaeus de Act. et Script. Luth.* ad *h. a.* p. 187. in qua inter alia: *Ego sciens scio, non esse foedus istud merum nihil aut Chimaeram.* Epistolam hanc presso pede hic sibi confutandam sumsit *Faber.* Scriptum ἰδιογράφον est, incipitque: *Luther I. Wolen. Doctor Fabri. Lieber Luther wie kannst du sagen das die schuld nit dein ist, dieweil du den brieff gemachet hast* &c.

Fol. LXVII. *Catalogus* Librorum Caesari oblatus, germanice, ut P. II. horum *Adversar. fol.* CCXXVIII.

A *fol.* LXX. ad finem Fragmenta varia *Responsionis* cum ad varios *Confessionis Aug.* articulos, tum ad *Scriptum IV. Civitatum*, de quo supra *fol.* I.

CCCCLVII.

Codex chartaceus lat. Sec. XVI. Folior. 166. f. est *Pars VI, Adversariorum Job. Fabri* in negotio Religionis *Collegio D. Nicolai* ejus jussu typis et manu *Christophori Gepfrid* olim adscripta, continetque *fol.* I. rursus *Catalogum* illum *Librorum Carolo* V. 13. *Julii* a. 1530. *oblatorum* latine, qui *Parte praeced. fol.* LXVII. occurrit germanice. Horum Tractatuum aliqui nunc consequuntur, et quidem 101

Fol. III. *Hæreses et errores ex diuersis Martini Lutheri libris in unum collecti. Lutheri* Asserta hic in III. *Libros* tributa sunt, quorum I. de *Verbo Dei*, *Ecclesia*, *Pontifice* &c. II. de *Sacramentis*, III. de *Cerimoniis* per Capita agit, adnotatis in margine Lutheri Scriptis, unde depromta sunt.

Fol. LX. *Monstra Sectarum Ex Lutero enata.* Jam et P. II.